



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt oblatio altaris singulis dominicis diebus fiat. xxiiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



*Ex decr. eiusdem, cap. 10.* Oblationē quoque & pacem in Ecclesia facere iugiter admoneatur populus Christianus : quia ipsa oblatio sibi & suis magnum remedium est animarum, & in ipsa pace vera vnanimitas & concordia demonstratur.

*De diaconibus quod presbyteris communionem dare non debeant. Cap. XXVI.*

*Ex nice. concilio, cap. 18.* Peruenit ad magnum, sanctūq; concilium, quod in quibusdam locis & ciuitatibus presbyteris gratiam communionis diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradidit, vt ab his qui potestatem non habent ostendi, illi qui offerunt Christi corpus accipiant. Necesse est & illud innotuit, quod quidam diaconi ante episcopos oblatio oblati contingant. Hęc igitur omnia rescētur, & sua diaconi mensura permaneant, scientes quod episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem presbyteris debeantur. Per orbem ergo post presbyteros gratiam communionis accipiant, aut episcopo eis, aut presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio presbyterorum & diaconis liceat: quia si hoc fiat, præter regulam & ordinem præsumitur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debet.

*De eulogijs populo à presbyteris dandis. Cap. XXVII.*

*Ex decr. Pij pape, cap. 4.* VT de oblationibus quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offeruntur deiles ad Ecclesiam, vel certè de suis presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido, vt post Missam solennia, qui communicare non fuerunt parati, eulogia omni die dominico, & in diebus festis inde accipiant, illa, vnde eulogias presbyter daturus est, antè in hac forma benedicat.

*Oratio simplex eulogia. Cap. XXVIII.*

**D**omine sancte pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta & spiritali benedictione, vt sit omnibus salus mentis & corporis, contra omnes morbos & vniuersas inimicorū insidias, tamen, Per dominum nostrum Iesum Christum filiū tuum panem vitæ, qui de cælo descendit, & dat vitā & salutem mundo, & tecum viuit & regnat, Per, &c.